



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. II. Belli definitio & detestatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT II.

Belli definitio & detestatio.

Bellum est
ferocissima
bellua.

§. 1. **S**entiunt facilius bellum integræ ciuitates, quam pauci definiunt. Est vero bellum ut definit Lipsius, *vis & arma in principem aut populum alienum*. Sine dubio intelligit vim illatam à summo Principe, vel Republica, si enim à parte vel à paucis inferatur nullo publico Consilio, latrocinia sunt potius quam bella. Hebræi *לחם בלחמה* & *חמרה בלחם* quod est comedere, deuorare. Est enim *ὁ πόλεμος* & *δημὸς βόρος* bellum vorax populi. Hinc diuinus Spiritus in scriptura os tribuit gladio, & perire dicuntur in ore gladij. Deuteronom. 32. 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes*. Bellum igitur horrenda belua est, quæ innumeris sagittis fugit cruorem morientium, & gladijs carnem secat, ac viscerationibus pertusum ventrem farcire conatur, nunquam autem etiam temulenta satiatur.

Summus
honor ex
sanguine
hominis.

§. 2. Belli innumera mala sunt, nullum grauius, quam quod tam magna decora & triumphj de hominum cæde petuntur. ferarum mutuos laniatus, venationesque cernimus, sed pasta cessat crudelitas, homini occidisse hominē gloriosum est. Et satis causa videtur esse, ut tam sacrum animal interficiatur, si victoris nomen acquiratur occisori. Quot enim gentes nulla sua culpa, sed crudelissima ambitione perierunt? Non inficior, eos qui iustorum bellorum administrauerunt, quique pro patria vulnera acceperunt, meritis præmijs decorandos; verum hanc humani generis calamitatem deploro, quod pro folijs lauri nationes integræ concidantur, quodque cupidine triumphandi bella ferantur, & maior sit gloria multos hominum occidisse, quam multos seruasse. Alexandrum, Cæsarem, Machometem, Tamberlanum admiramur. & summæ laudis habetur multos malos, & multos innocentes sine discrimine occidisse: quo titulo Nemeum, Leonem, Hydram, Lernæam, Aprum Caledonium laudare possis. Fæda est professio Cæsaris, vndecies, nonaginta duo hominum millia à se occisa; & de bello ciuili nondum loquitur. Pompeius in delubro Mineræ inscripsit; à se vices semel centena, octoginta millia fusa, fugata, occisa, in deditionem accepta. Quid est hoc, *ὁ δὲ υἱός* meus, ut in societate humana, inter erudita etiam ingenia fastigium laudis teneat, multos occidisse? Nec velari prætextu iustitiæ tanta potest inhumanitas; in ea gloria fuerunt etiam, qui iniusta bella gesserunt. Frustra hæc querimus. Bella cum nato mundo fuerunt, & bellantes decretoria dies inueniet. Duobus fratribus angustus erat mundus, in quo Caino videbatur Abel fore beatior; secuta sunt bella Gigantum, & discordes in vnum gurgitem caraclysmus inclusit. Post diluuium primo familiam gubernauit Noe, & filij eius, donec diuisa terra est, regnauitque Nemrod in campo Sennaar. Quin etiam bella grauiora fuerunt, Noacho, Semo, Iapeto, ac Chamo viuentibus. Nec pacem conciliare inter posteros proauj, aut patresque potuerunt. Bella illa narrantur Gen. 14. quæ contigerunt annos 344. post diluuium, quo tempore, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reusarag, Nachor vitam agebant, ut mirum fuerit, tam cito exstitisse tyrannidas. Nam hoc prælium quod Moyses recenset, primum non fuit, iam enim annos duodecim reges illi seruierant Chodorlahomor regi Elamitarum, victi igitur bello fuerant ante annos duodecim, & visitata iam erant bella, cuius rei indicium est, quod Chodorlahomor fœderatos habet reges, & cum regnet in Elymaide longo spacio à Chanaanais, eos tamen seruitio pro-

Bella anti-
qua.

mit. Quin & crudelia bella fuerunt, Gen. 14. 5. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Asarothicarnaim, & Zuzim cum eis, & Enim in Saue Cariathaim. & Chorroas in montibus Seir, vsque ad Campes tria Pharan, quæ est in solitudine. Hac disciplina, ac serie bella ad nostra vsque tempora continuata sunt.

Mox à di-
lunio cru-
delia bella.

§. 3. Bellorum etiam iustissimorum malum est commune, quod in illis disciplina iaceat, vitia inualescant: Cum enim in bello maximi labores, cōtinua sint pericula, voluptatum & omnium vitiorum dulcedine stolidos militum animos detinent, ne castra deferantur. Hinc mores nulla res æquè corrumpit, atq; militia, quippe in quâ pleraq; impune committuntur. Feros itaque, & omnium malorum cupidos bellum efficit. Quæ enim in Repub. & bene constituta ciuitate flagitia censentur, in castris ludi sunt. Quæ namque facies malorum in captis ciuitatibus abesse solet: ita multo sunt miserabiliores, qui victoriam sceleribus ingentibus contaminant, quam illi quos trucidant. Fere n. maiora scelera committuntur dum ciuitas capitur, quam ea sunt, quibus meretur capi. Tantæ impietatis indubium signum est, quod in presenti periculo, inter strages morientium de salute cogitationem seriam non suscipiunt. Mortem in labris habent, experiunturque, quod ille ait

Bello vitia
aluntur.

Κοινὸς ἐστὶν ὁ πόλεμος, καὶ τοῦ καλοῦ καὶ κακοῦ.

Mors communis est, occidentem occidit.

Atque illud est, quod duratum malis animum, gratiaq; diuinæ contumacem ostendit, non constanter mori, sed vitijs suis immori. Nullo periculo moueri ad pœnitentiam, malis ipsis indurescere. Cautela est, quia tantorum certaminum finis sunt diuitiæ.

Mors sine
preparatio-
ne subitur.

*Vsque adeo solus ferrum, mortemq; timere
Aurine scit amor; pereunt discrimine nullo
Amissa leges, & pars vilissima rerum
Certamen mouisset opes.*

§. 4. Hinc nec Ethnicis à Deorum suorum delubris superstitio, nec Christianis à sacris ædibus violandis religio deterruit.

Religio bel-
lo perit.

Laudatur Fabij humanitas, quod cum Tarentum euertisset, in Deos nō leuaret, sed diceret. Relinquere se Tarentinis Deos iratos. Laudatur ergo Fabius, q̃ simulachrorū depredatione abstinuisset maluit, quam multa grandiaq; auterre. Veteres quidem et in templis deorum nequiores erant. Ipsa, ut dixi Troia (ait August. l. 1. de Ciuit. c. 4.) mater Romani populi sacratis in locis deorum suorum munire non potuit ciues suos ab ignibus ferroque Gracorum, eosdem ipsos Deos colentium: quim etiā Iunonis asylo Custodes lecti Phenix & dirus Vlysses. Pradam afferuabant, huc vndiq; Troia gazæ Incensis erepta adytis, mensaq; Deorum Cratereq; auro solidi; captiuag; vestis Congeritur. Pueri & pauide longo ordine matres Stant circum.

Electus est videlicet locus tanta deæ sacratus, non vnde captiuos non liceret euacere, sed vbi captiuos liberet includere.

Non quidem scelus erat, idolia illa, & Lupanaria excindere, verū immane sacrilegium, cum videmus à Christianis, ne quidem templis Christianorum, sacrisque parci. Athenæ illæ omnium literarum & humanitatis inuentrices, non iustitia, aut pietate bella gessisse, sed opum causa, illi qui auxilium petierunt, testatur. Egessenles ideo insigni stratagemate Athenienses eluserunt, pecunia enim auxilia comparaturi, à vicinis accepto, mutuo, fana, & ædes ornauerunt, & falsa diuitiarum opinione auxilia habuerunt.

§. 5. Principi bellum semper rimendum est, quamuis hostes imbecilles sint, minimeq; pares. Nam incerta est bellalea. Diogenes Cynicus Philippo exprobrabat: stultitij se illius spectatorem esse, qui tam multa possidens omnia in discrimen mitteret, id que nulla

Incerto
belli fructus
certus labor

Hanc patriam peperere.

Propria vi-
res pericu-
losa.

*Ballantium
varia peri-
cula.*

Clarissimi
triumphi
exiliis mul-
tati sunt.

Finis belli
non est in
potestate
incipientis.

*Pacis men-
tio etiam
inter tū-
bas.*

Imperium
dilatando
perdunt.

Tentaui Geticus nuper delere tyrannus

Italiam patrio veniens iuratus ab Istro

Has arces equare solo.

*Laboriose
victi cito
deficiunt.*

Paupertas
è bello.

§. 10. Nec modo bellum ipsum, sed metus et belli
paupertatem & famem præmittit. *Non ullus aratro
dignus*

dignus honor, fugiunt coloni, squalent arua, ciuitates deseruntur. Neq; imaginentur bellaturi multa damna se illaturos, pauca passuros; fieri enim solet, vt illi, qui multa inferunt alijs, multa & ipsi patiantur, cum defendere se difficile sit, nocere facillimum.

Præter illa damna etiam labor additur, quo conficiuntur ciues.

Egregio commento Phocion Athenienses à studio belli contra Thebanos abduxit; cum n. nec quicquam dissuasisset, sed cõtra eius orationem esset bellum decretum, & Phocion ipse dux cõstitutus; Agite Phocio sumptis quinq; dierum eibarijs me sequimini; q; cum senes detrectaret, studium belli remissum est.

Pax bello
quæritur.

§. 11. Quod si quippiam accadat, vt bellum suscipiendum videatur, id secum Resp. perpendat: finito bello nihil melius q; pacem se consecuturam. At vero iam pax est, quæ ciuilitate agendo, & parua dissimulando damna, retineri põt. Sane aurea sententia est Seneca. Felicior est pax nunquã laceßita, quã multo reparata sanguine. Intra paucos annos in Europa bella, & pacẽ vidimus, postquam oēs fessi cladibus sunt, pace respirant. Egregium hac de re est S. Aug. iudicium l. 4. de ciuit. c. 15. Felicitas est maior vicinũ habere concordem, quam subingere bellatorem. Annos quadringentos cum vicinis Roma belligerauit, clades intulit, & accepit, interea tot ciues cæsi, vulneratiq; agri vastati ducentes, prædæ abactæ; quis ita ab omni ratione alienus est, qui non iudicet Romam beatiorem futuram fuisse, si cõtinuis bellis ciues non attriuisset: si concorditer cum vicinis vixisset? Athenienses non nisi pullati pacem optabant, & nunc etiam principes cum exhausta æraria, & saucios è prælio vident, ad pacem animum applicant. Prudentissime Gueuara l. 3. c. 15. horol. Tam stolidus nemo est, & rudis, quin feliciorẽ prouinciet eum, qui linteo ad detergendum vultus sudorem vitur, quam qui ad exsicandum capiti sanguinem idem scindit Itaq; qui bellum non necessarium pro pace gerit, perinde facit, atque ille, qui cicatricem integræ cuti præponit; cum nunquam cicatrix nisi collata vulnere placeat.

Pax secundum naturam bellũ contranaturam est.

§. 12. Quid vero si naturam ipsam spectemus. Bellus vires & rabiẽ pro virtute natura in seuit, ius homini dedit, magnumq; illud etiam latronum peccatoribus inculpsit; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quid in mutuas lanienas ruimus? nullum animal in suum genus seuit. Iuuenalis Satyra 15.

Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatus maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sauis inter se conuenit vrsis:
Añ homini ferrum lethale incude nefandã
Produxisse parum est, cum rastra, & sarcula tantum
Assueti coquere, & marri, ac vomere lasi
Nescierint primi gladios excudere fabri.

Aspicimus populos, quorum non sufficit ira,
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi.

Quid vero bellis agitur? Subditis licentia scelerum datur, homines trucidantur, infontes spoliãtur. Hæcque sine iustitia vt plurimum. quid enim milites habebunt, si suum quisq; habuerit? Sen. de benef. 4. Principes igitur si boni esse, & haberi volunt, id agant, vt non hostes attrahant, sed vt improbos repellant. Plato optime Spartiatis Lydos præposuit, qui opere rustico duratas manus haberent, eum Spartiæ torquendis hastis brachia eneruata traherent. Natura igitur quæ societatem, eadem pacem nos docuit, & amicitiam cum omnibus, quibuscum esse potest. Sine amico enim visceratio leonis, & lupi, vita est. Hoc ipsa nos docet antiquitas, horrore quodam contra naturam bellatorem perfundens. Terull. de pallio. Cur istas

non spectas? vel illos item habitus, qui nouitate vestitus religionem mentuntur, cum ob cultum omnia cãditatum, & ob notam vitæ, & priuilegium galeri, Cereri imitantur, cum ob diuer/am actionem tenebricæ vestis, & retrici super caput velleris in Bellona montes fugantur. Et aduersus gentes; Hodie isthic Bellona sacraus sanguis de femore prolesso in parmulam exceptus suis datur signatis. Quid aliud retrica velleræ, in montes fuga, sanguinis epotatio significat, quam eos qui belli malis gaudeant, ab hominibus migrasse in beluinam versos naturam?

Bello boni
plus patiũtur.

§. 13. Denique hoc in bello detestabilissimum est, quod non modo vbi bellum ingruit innocentes ac noxijuxta cadunt, sed boni plus etiam patiuntur. Cum enim mali parui vitam, minoris conscientiam æstiment, in omnia iniuriarum genera proni sunt; at boni cum iniuriæ nec inferre, nec rapere velint, damna sua mullare, & perferre coguntur. Quod si mali malis concurrant, paruum detrimentum videri quibusdam solet; sed errant illi quoq; , quanquam enim in cæde improborum non magna censentur; hoc tamen ipsum damnosum est, improbum alienã furiã, & ipsum furem cadere, qui in cuncta morte sublati saluari poterat. Magnum precium est animæ Christianæ, quæ dum inter cædes proijcit vitam temporariam, sæpe desperat æternam. Hinc fit vt etiam boni nisi cum necesse est, hostem non occidant. Ego plane auream sententiam hominis Ethnici iudico Tac. hist. 1. Aequè apud bonos miserũ est occidere, quã perire.

Commoda
bellosum.

§. 14. Commoda tamen & prædæ ex bellis oriuntur. ita est, imo ex victoria, & quidem incruentã & felice; alioqui care emittur præda multo sanguine. Verum commoda vocemus, seruituti subditam prouinciam, militumq; è præda diuitias. commoda tamen non sunt, nisi collata detrimentis, seruos mauius habere vicinis, quam latrones & piratas, sed præstabat habere amicos. Nec felicior es aliena infelicitate, nisi necessario illos infelices fecisti. Vere Orosius. Quam feliciter Roma vincit, tam infelicitate, quidquid extra Romam est, vincitur. Bene hanc rotam comparat modiolis haustorijs Gueuara, nisi enim illi qui ascendunt euacuentur, non possunt alij pleni ascendere. Magna itaq; aliena est infelicitas, ex quã tanta emolumenta nascuntur, vt vitæ periculis bene emicredantur. Nec sic tamen felix est victor, Roma orbis diuitias partim bello, partim præsidũ auaritiã rapuit, sed pressa exuijs deuicti mundi periit. Natura inter Draconem & Elephantem inimicitias posuit, Draco deuicti Elephantis sanguinem tanta aviditate bibit, vt aut rumpatur, aut hostis cadentis mole obteturatur. Id fieri solet cum prædarum multitudine fientium animi militum subito implentur, atque ita farciuntur, vt fortunã suam cõcoquere nullo modo queant, imo nec fortiter amplius agere, nec viuere.

Felicitas
bellosum
ex aliena
infelicitate.

§. 15. Accedit ad hanc crudelem vanitatem in bella raptantem, aliud plane quod inique comparatum est, & merito detertere à bello omnes oportebat. Ducis enim solius pene decora sunt, solius nomen principis trophæis inscribitur; male Græcos fecisse ait Curtius l. 8. quod trophæis regum duntaxat nomina inscripserint. Principem igitur scabies illa infestet, quid tu, ò miles, post victoriam speras? iacent tot millia commilitonum, & illi quidem cum laude, sed tamen sine nomine vulgus; multo maior pars oberat, egens, mutilato corpore, & triumpho suo cum ignominia superstes. Imperator per vibrem vehitur curru sublimis, captat plausus, conspici desiderat, at Romanus quoque sapiens Cicero, qui ista desiderauit, inania ipsa delectamenta iudicat, & pene puerorum. Orat. in Pison. Quod si maxima iudicantur, certe militum non sunt. Milites hodie pene leguntur maximam partem ex infima plebe, aluntur vt victimæ, nec sane liberaliter, reguntur durissimè,

Multorum
periculum
ducis gloriæ.

Militum
miseria forisimè,

finis, & ad bellum tamen aspirant. Olim sacramenti fugiendi causa in ergastulis latitabant, pollices sibi præscindebant, alias effugiendi occasiones quærebant. Nunc sponte accurrunt, quos desperatio, aut cupido licentiæ domi manere non sinit. Hinc aliud etiam & triste malum nascitur, ut bella optent, ingrata sit quies. Maleuolæ suspitionis est carmen Philemonis Comici, sed in bello verum.

Οὐτε γὰρ ἰατρός, οὐδὲ εἰς, ἀν' εὐ σκοπῆς,
Τὸς ἀντὶς αὐτῶν βάλει δ' ὀφθαλμοὺς φίλους.

Οὐτε ἑρμηνεύς, πάλιν ὁρᾷν εἶρε καὶ.

Neque enim medicus vilius, si bene rem consideres, amicos suos bene valere peroptat, nec miles suam sine malo ciuitatem videre. Cupido porro belli eos tenet, quia aliam vitam honestè degendæ attem non didicerunt. Hinc Italorum prouerbio iactatur. Bellum fures ferere, quos pax gladio demetat, & laqueo. Nam reuera otio, luxuria, crudelitati omnino dediti, ad latrocinia, furtaque veruntur. Horum malorum causa est, nostræ militiæ corruptio, olim ea erat disciplina militiæ, ut arma ponere vehementer miles optaret, vacationem maximi loco beneficii acciperet, ad agros redirent, etiam consulares, & triumphales, atque adeo bene secum veterani putabant agi, si ab solutis stipendiis agri darentur: nunc multi omnia in arte militari collocant, itaque atque retinent, ac si cum bello vita quoque abrumperenda sit. Nihil magis cauendum est regibus, quam ne his de suscipiendo bello consiliarijs vtantur: animos enim illorum tumultu, & vana spe implent, non alio fine, quam ut necessitate urgente, rebus ipsi admoueantur. Id sane contingit, ut vbi diuturna militiæ est, pauci Tribuni ac manipulares maximis imperijs sint potentiores. Prætoriani milites Romæ, pars quota, non dico totius imperij, sed vnius vrbs, quoties imperatores fecerunt, & factos occiderunt: itaque cum bellum est, res domi incertæ sunt, foris afflictæ.

CAPVT III.

Bellum esse licitum.

Bellum licitum. §. 1. **V**etus illa disputatio est, non quidem an omnino genere bellum liceat, sed an Christianis licitum sit: ita enim Iulianus Apostata per derisum exprobrabat, aliam danti dandam & alteram maxillam, non igitur bello vindicandum. Manichæi etiam omnino bellum vetabant, quos refutat S. Augustinus libr. 22. contra Faustum Manichæum c. 74. Nec bellum per Moysen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina secutus imperia, non sciens, sed obediens fuit: nec Deus cum iubebat ista, sciebat, sed digna dignis retribuere, dignosque terrebatur. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque moriuri, ut dementur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, viciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerumque ut etiam iure puniantur aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, ubi eos, vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandi milites veniret, dicebat: Et nos quid faciemus? responderet eis, arma abiciite, militiam & iam deserite, neminem percutite, vulnere, prostermite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas sed ministros legis, & non vltres iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniā feceritis: sufficit vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Ioannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum IESVM CHRISTVM audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi.

Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni & venit: & seruo meo fac hoc & facit: fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit.

Wicleffus eiusdem erroris infimulatur à Thoma Waldensi; Cornelius Agrippa archimagus in eadem opinione fuit. Et Erasmus. Lutherus affectu & impotentia iracundiæ rem iudicauit. contra Turcas geri bellum vetuit, quod esset ipse flagellum Dei, contra Pontificem & Catholicos iussit, & ut bellaretur, effecit.

§. 2. Bellum natura sua non esse illicitum, neque à Deo vetitum, tota vetus scriptura docet. Abraham Gen. 17. bello vicit Reges victores; Moses, & Iosue Chananeam belli iure occuparunt, quamuis enim eam terram illis donasset Deus, armis tamen obtineri voluit. Imo belli leges quoque dictauit. Num. 10. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangentis vltantibus tubis & erit recordatio vestri coram Domino DEO vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Et capit. 21. 14. citatur liber bellorum domini, quæ sine dubio sunt gesta probante Domino. & Deuteronom. 20. 1. Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem quam tu habeas aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus DEVS tuus tecum est: qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: Quia Dominus DEVS vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui adificauit domum nouam &c. & post pauca. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos preparabit. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offores ei primam pacem. si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem sedes inire noluerit, & coeperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus DEVS illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii absque mulieribus & infantibus, iumentis & ceteris, quæ in ciuitate sunt. Omnem prædam exercitus diuides, & comes despoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi &c. Libri quoque Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Machabæorum pleni sunt historia bellorum. Et Hebræor. 11. Apostolus ait. Sanctos per fidem vicisse regna, fortes fuisse in bello Ioannes quoque Baptista, non vetuit militare, nec CHRISTVS, nec Petrus centuriones sacramento soluerunt. Bellandi enim licentiam à Deo datam agnouerunt. Centurionis sane preces, & elemosynæ ascenderunt ante Deum, & habuit ille quoque milites timentes DEVM. Fuere quoque olim in bellis Christiani milites. Legio fulminatrix notissima est, quæ imbre impetrato exercitum seruauit, & Thebæorum, quæ martyrium sæpius decimata pettulit. Tertullian. apolog. cap. 42. Christianos cum gentibus vna militare tradit. Quid vero ipse sentiat, non omnino liquet, constat enim sui temporis militiam sub Ethnicis imperatoribus, idololatriæ connexam improbasse. L. de corona militis, capit. vñdecimo. Etenim ut ipsam coronam militaris aggrediar, puro prius conquirendam, an in totum Christianis militiæ conueniat. Quale est alioquin de accidetibus retractare, cum à præcedentibus culpa sit: Creditur

Deus bellum licitum approbavit, & sancti gesserunt.

Christus bella probauit.